

excusantur domini jurisdictionum ab irregularitate incurrenda, nihilominus si non servetur justitia, sed inique et injuste a iudice damnentur quis ad mortem, tunc non excusabuntur domini jurisdictionum ab irregularitate.

XVIII. Dico tamen septimo: In isto casu non est cur timeatur periculum irregularitatis in dominis jurisdictionum, nam supposito quod illas possunt committere sine periculo irregularitatis (ut vidimus) si postea ex sola iniqua voluntate iudicis delegati quis occidatur, nulla potest suboriri sufficiens causa, ut committens jurisdictionem incurrat irregularitatem. Unde illa particula, quæ videtur habere difficultatem, videlicet mediante justitia, merito a legislatore apposita fuit, ut sciant iudices delegati qualiter ab eis exercenda sit commissio jurisdictionis. Et per hæc patet ad rationem dubitandi pro ista difficultate.

XIX. Quarta denique, et potissimo difficultas est circa hunc articulum, an patres fidei inquisitores hæreticæ pravitate, et alii iudices ecclesiastici tradentes hæreticum reum iudicibus sæcularibus puniendum pœna mortis, incurrant irregularitatem. Et ratio potissima dubitandi est, quia patres inquisitores tradunt delinquentes in materia fidei, et qui plectendi sunt pœna mortis secundum leges, tradunt (inquam) illos iudicibus sæcularibus, ut in illis hanc pœnam mortis exequentur, et intelligibile omnino videtur, quod isto modo tradentes non sunt causa proxima mortis. Confirmatur, quia si iudex sæcularis non exequetur pœnam mortis in reos, tunc patres inquisitores procedent contra illum. Hanc difficultatem tractant plures antiqui, et moderni, quos refert Suarez in illa disputatione XLVII, sect. I, num. x, et doctor Avila ubi supra, dubio se-

cundo. Et est hujus expressa determinatio juris in capite Novimus, de verborum significatione, in quo decernitur, quod possit iudex ecclesiasticus clericum degradatum tradere brachio sæculari, debet tamen pro eo efficaciter intercedere, ut citra periculum mortis sententia pie moderetur.

XX. Dico igitur octavo, patres fidei inquisitores hæreticæ pravitate, aliosque iudices ecclesiasticos nullatenus incurere irregularitatem, quamvis tradant iudicibus sæcularibus hujusmodi reos puniendos infallibiliter pœna mortis. Probatur ista conclusio primo, ratione universali, quam tradit Covarruvia part. II, §. v, num. vi, quia inquisitores, et alii iudices ecclesiastici rogant vere, et ex animo iudices sæculares, ut misericorditer se gerant cum reis, unde quando tradunt hæreticum brachio sæculari solum declarant se functos fuisse officio suo, et hæreticum tamquam incorrigibilem dimittere a propria jurisdictione. Et idem est de clerico degradato, quem tradit iudex ecclesiasticus sæculari, et per prædictam protestationem liberantur ab irregularitate tam inquisitores, quam alii iudices ecclesiastici, ut constat ex illo capite Novimus citato.

XXI. Sed contra istam rationem potest quis objicere, quod intercessio illa, quæ in illo capite decernitur faciendâ sit omnino impertinens et otiosa, quia vel illa est ficta, vel saltem iniqua, nam ibidem decernitur, quod debeat fieri efficaciter tunc sic; nam inquisitor in tali intercessione, vel habet animum, quod reus absolvatur a pœna mortis, vel non habet talem animum. Si dicas hoc secundum, tunc intercessio non solum non est efficax, verum ficta si quidem non est conformis ad decretum illud, quo decernitur, ut fiat intercessio efficaciter in fa-

vorem rei, ut citra periculum mortis feratur in illum sententia. Si vero iudex ecclesiasticus habet animum absolvendi reum a pœna mortis; ergo talis voluntas est injusta et iniqua, quia quod hæreticus non puniatur pœna mortis iniquum est, et contra commune bonum reipublicæ christianæ.

XXII. Respondetur tamen ad istam objectionem, quod talis intercessio nec ficta est, nec iniqua, sed potius juste fit, et efficax est ad finem intentum ab Ecclesia. Efficax quidem, quia intentum Ecclesiæ in illa intercessione est explicare suum piissimum animum, qui non est ut reus pœna mortis afficiatur, sed potius vellet, quod in quantum possibile est, et bono communi non nocivum, absolveretur a pœna mortis, et ad istum finem ostendendum satis efficax est illa intercessio, quæ tamen non fit efficaciter ad hoc, ut de facto reus a pœna mortis absolvatur, quia talis absolutio esset nociva bono communi, ac subinde iniqua. Unde non est iniqua intercessio, si quidem non tendit ad hoc, ut fiat injuria bono communi, nec inde sequitur illos iudices velle absolute sanguinis effusionem, quia datur medium inter hoc, quod est velle talem mortem, et non velle illam, et medium est velle quod servetur justitia, et simul ostendere pium animum Ecclesiæ.

XXIII. Secundo, probatio hujus conclusionis propria est, et peculiaris pro inquisitoribus, quia scilicet eis solum est prohibita executio mortis, non tamen traditio rei iudici sæculari, quomodocumque fiat talis traditio; unde solum possent incurere irregularitatem, si per se ipsos exequerentur causam sanguinis. Hanc rationem tradit magister Medina in summa libro primo, cap. XI, §. x, regula IV. Sed tamen non satis efficaciter fundat præfatam ra-

tionem. Cujus efficax fundamentum est in quadam bulla Pauli IV concessa cardinalibus die 29, aprilis anno 1557: et habetur in judiciali inquisitorum, folio 474. Quam bullam Pius V confirmavit, et extendit ad omnes inquisitores, eorumque vicarios, et consultores. In qua quidem bulla conceditur illa facultas tradendi reos brachio sæculari sine periculo irregularitatis incurrendæ. Itaque illam solum possunt incurere, si per se ipsos exequerentur causam sanguinis. Ex quo sequitur primo, quod quamvis nullam faciant protestationem, non erunt irregulares, sic tenet Henriquez in summa tractatu de irregularitate, num. v, littera B. cap. XII. Secundo sequitur, quod si iudex sæcularis differat executionem mortis, possunt inquisitores absque metu irregularitatis instare omnino, usque dum ille exequetur sententiam. Hoc enim est contra Covarruviam ubi supra, num. VI in fine. Sed tamen id tenet Medina ubi supra, et Henriquez ubi supra in glossa, littera D. et Tabiena verbo irregularitas II, §. xv. Sequitur tertio, quod fiscalis, et secretarius, et testes, et denunciatores, et alii officiales in tribunali inquisitionis quamvis nullam faciant protestationem non sunt irregulares, quia nec ipsi, sicut nec inquisitores procedunt per se ad causam sanguinis.

XXIV. Tertia probatio universaliter procedens pro omnibus iudicibus ecclesiasticis tradentibus reos iudici sæculari est, nam in ista traditione iudices ecclesiastici ostendunt illos reos esse incorrigibiles, et ideo abjiciunt illos a sua jurisdictione ecclesiastica, et manifestant eos esse dignos pœna mortis tamquam maxime nocivos reipublicæ christianæ, ac subinde tales rei manent sub jurisdictione iudicis sæcularis, qui ex justitia tenetur ipsos pœna

mortis plectere. Unde sequitur iudices ecclesiasticos in tali facto nulloatenus se intromittere in causam sanguinis, sed illam remittere arbitrio iudicis sæcularis. Ad rationem dubitandi a principio hujus articuli constat ex dictis, qua ratione in jure inveniatur expresse posita irregularitas in iudices sæculares proferentes sententiam sanguinis morte subsecuta. Unde neganda est minor illius argumenti, ut constat ex secunda nostra conclusione. Ad confirmationem ex dictis etiam similiter constat quando principes habentes dominium jurisdictionum incurrant irregularitatem, et quando non incurrant illam, ut ostendimus in quarta conclusione et sequenti.

ARTICULUS III.

Utrum advocati ferentes patrocinium in causa sanguinis incurrant irregularitatem?

I. In hac difficultate in primis supponenda sunt aliqua tamquam certa, et communia inter doctores. Primo quidem certum est, quod advocati ferentes patrocinium in causa sanguinis morte ex vi patrocinii subsecuta, incurrunt irregularitatem, ut constat ex illo capite Aliquantos quod est primum in distinctione LI, in prima parte decreti, in quo prohibentur ad sacros ordines assumi, qui forensi exercitatione versati sunt, per quos potissimum doctores intelligunt advocatos. Et præterquam quod hæc doctrina communis est inter doctores et certa, confirmari potest ex dictis a nobis articulo præcedenti, in quo satis ostendimus iudices ferentes sententiam in causa sanguinis morte subsecuta fieri irregulares; est autem prorsus eadem ratio de advo-

catis ferentibus patrocinium, morte subsecuta ex vi patrocinii facti contra eum qui morte punitus est.

II. Secundo certum est in hac parte, quod advocati ferentes patrocinium, quando mors non sequitur, non fiunt irregulares. Quæ doctrina quamvis nobis sit certa, non tamen est ita communis, ut præcedens, quia sunt multi existimantes, quod etiamsi mors non sequatur, fiunt irregulares advocati, imo etiamsi patrocinium ferant in causa pure civili, quos auctores refert Suarez in illa disputatione XLVII, sect. IV. Quorum potissimum fundamentum est, quia in præfato capite Aliquantos indifferenter fit sermo de omnibus advocatis quoad irregularitatem incurrendam sive in causa criminali, sive in causa civili agant ex hoc ipso solum, quod versati sunt in forensi exercitatione. Nihilominus tamen doctrina a nobis proposita communior est inter doctores, et certa. Et probari potest; tum, quia (ut diximus articulo præcedenti) iudicibus solum imponitur irregularitas, si ferant sententiam in causa sanguinis morte subsecuta; ergo a fortiori advocatis, qui non ita præcipue sunt causæ sanguinis, sicut iudices, solum imponitur irregularitas ex hoc, quod sint causa sanguinis morte subsecuta ex vi patrocinii illorum. Tum probari potest ex contextu illius capitis dum dicitur: « Qui in forensi exercitatione versati sunt, et obtinendi pertinciam susceperunt. » Per quæ verba irregularitas imponitur non quidem omnibus advocatis, sed illis dumtaxat, qui per patrocinia sua obtinent effectum sanguinis. Et ex hoc constat solutio ad fundamentum in oppositum.

III. Tertio, supponendum est in hac parte tamquam certum, quod advocati ferentes patrocinium in

favorem rei, etiam morte ipsius rei subsecuta non incurrunt irregularitatem. Cujus ratio est manifesta, quia tale patrocinium potius fuit ordinatum ad impediendam mortem; tantum abest ut causalitatem circa mortem haberet. Quæ doctrina intelligenda est, nisi in casu quo ex negligentia advocati reus ad mortem damnaretur, tunc enim per negligentiam esset causa mortis subsecuta atque irregularitatem incurreret, quæ tamen non esset homicidii voluntarii secundum juris dispositionem, de quo in præsentis loquimur, sed esset irregularis homicidii casualis de quo dicemus in sequenti disputatione.

IV. Difficultas igitur in hac parte potest esse in duobus casibus, videlicet quando advocatus fert patrocinium in favorem rei, et ex efficaci defensione rei sequitur mors, aut mutilatio accusatoris, qui accusabat reum. Et secundum casus est, quando advocatus fert patrocinium contra reum in favorem accusatoris, in causa tamen injusta, ex qua etiam provenit, quod accusator postea puniatur pœna mortis, aut mutilationis alicujus membri. Et ratio dubitandi pro parte negativa in utroque casu est, quia patrocinium advocati non ordinatur ad mortem, quæ subsequitur, nam qui in primo casu defendit reum, ordinat solum in ejus defensionem patrocinium; et similiter qui favet accusatori contra reum ordinat solum patrocinium in favorem, et non in mortem accusatoris; ergo tale patrocinium non habet causalitatem, et influxum aliquem circa mortem de facto subsecutam, et consequenter nullam inducit irregularitatem.

V. In contrarium tamen est, quia etiamsi ex intentione advocati patrocinium illud non ordinetur ad mortem de facto subsecutam, tamen

ex vi illius patrocinii de facto sequitur mors; ergo de facto habuit influxum in mortem subsecutam; ergo incurrit irregularitatem. Circa hanc difficultatem sunt varii modi dicendi, quos refert Suarez in illa disputatione XLVII, sect. IV. Quibus addendus est alius modus, quem sequitur Stephanus de Avila ubi supra, dubio primo asserens, quod si advocatus patet in primo casu, ut accusator puniatur pœna talionis per mortem, aut mutilationem, et illa sequatur de facto, incurrit advocatus irregularitatem, secus autem si id non petat.

VI. Dico tamen primo: Advocatus efficaciter patrocinium ferens in favorem rei in causa justa non manet irregularis, etiamsi de facto sequatur mors, vel mutilatio accusatoris. Hæc conclusio constat ex ratione dubitandi, et constabit ex dicendis in conclusione quarta.

VII. Dico secundo: Advocatus patrocinium ferens in favorem rei in causa injusta improbando accusatorem manet irregularis si sequatur mors, aut mutilatio accusatoris, quia ex improbatione, et calumnia accusatoris sequitur mors, aut mutilatio; ergo vere influit in illam, et consequenter manet irregularis.

VIII. Dico tertio: In secundo casu quando patrocinium fertur pro accusatore in causa injusta, ex qua provenit quod accusator occiditur, aut mutilatur tunc advocatus manet irregularis. Ratio est, quia talis advocatus dat operam rei illicitæ, ex qua sequitur moraliter periculum mortis. Quæ doctrina intelligenda est quando ipse advocatus cognoscit causam esse injustam, tunc enim injustus est ipsi accusatori decipiendi illum, et ideo ad omnia damna subsecuta accusatori tenetur. Et idem dicendum quando ex ignorantia maxime culpabili, et vincibili